



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XIII. De reo confessarium petente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

IX.

Si quis sacris initiatus incolave in iis quæ ad fortunam vitamve eius spectantur decipiatur, tum ei rex, nisi is aliunde habuerit, loco patroni & cognatorum esto. Fraudator vero regi, prout ipsa feret factiratio, satisfacito, aut graues sceleris admitti pœnas rex ipse repetito: Christiana siquidem fide imbuti regis est Deo illatas grauius, pro facti ratione, vlcisci iniurias.

Regii manuscripti capitulum 5.

X.

Si eorum qui aræ deseruierint aliquis hominem occiderit, aut insigne aliquod perpetrarit flagitium, gradu & honore dispoliatus, perinde atque ei papa circumscripterit habitandi locum, exulato, ac cumulate compensato. Sin is crimen fuerit inficiatus, excusatio tripla esto. Atque ni hanc quæ Deo & hominibus debetur compensacionem intra ter denos aggrediatur dies, ab omni legis commoditate destitutus habetor.

Regii manuscripti capitulum 6.

XI.

Si quis alium sacris initiatum vinculis constrinxerit, verberibus, ignominia, dedecoreve affecerit, datum, prout æquum fuerit, damnum refarcito, episcopo, pro dignitate ordinis, aræ expiandæ nomine multam præstato, regi denique, siue domino, graues dignitatis læsæ pœnas dependito, aut saltem integra perfectaque excusatione allata crimen diluito.

Regii manuscripti capitulum 7.

XII.

Si quis sacris inauguratus rei capitalis obnoxius extiterit, comprehenditor, atque vt tandem episcopo criminis admitti pœnas dependat, asseruator.

Regii manuscripti capitulum 8.

XIII.

Si quis rei capitalis damnatus sua ingenue sacerdoti peccata confiteri cupiuerit, id ei conceditor. Si quis autem denegarit, numerato regi centum viginti solidos, aut saltem adiunctis sibi viris quinque se culpa liberato.

Regii manuscripti capitulum 9.

XIV.

Nemo, quoad eius fieri poterit, cuiuscumque sceleris admitti damnatus, nisi quidem sese in fugam dederit, aut repugnarit, die dominico morti obiicitor, quin comprehensus vsque dum dies ille festus transierit tenetor. Liber si die quocumque festo operis quidquam patra-

Regii manuscripti capitula 10. 11. 12. 13.